

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Studium k cum fonte primo

Tria sunt que precipue studiis legencium obesse solent: negligencia, imprudencia, fortuna. Negligencia est quando ea que discenda sunt uel prorsus pretermittimus uel minus studiose discimus. Imprudencia est quando congruum ordinem et modum in hiis que discimus non seruamus. Fortuna est in euentu, casu siue naturaliter contingente quando uel paupertate uel infirmitate uel naturali tarditate, siue etiam doctorum raritate

a proposito nostro retrahimur. In hiis autem tribus de primo, id est negligencia, lector admonendus est; de secundo uero, id est imprudencia, instruendus; de tercio, id est fortuna, adiuuandus.

Hugo ibidem (didascalicon) libro V.

Tria sunt quae precipue studiis legentium obesse solent: negligencia, imprudencia, fortuna. negligencia est quando ea quae discenda sunt uel prorsus praetermittimus uel minus studiose discimus. imprudencia est quando congruum ordinem et modum in his quae discimus non seruamus. fortuna est in euentu, casu, siue naturaliter contingente, quando uel paupertate uel infirmitate uel non naturali tarditate, siue etiam doctorum raritate, quia aut non inveniuntur qui doceant, aut qui bene doceant, a proposito nostro retrahimur. in his autem tribus de primo quidem, id est, negligencia, lector admonendus est, de secundo uero, id est, imprudencia, instruendus, de tercio autem, id est, fortuna, adiuuandus.

Hugo de sancto Victore, *Didascalicon de studio legendi*, 5, 5 (C.H. Buttmer ed., p.104, ll.5-15).